

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Cothmann Hubert Koen

**Disputatio Theologica De Sacra Coena : Consideranda proponens primaria  
pontificiorum de communione sub una specie argumenta**

Rostochii: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739723626>

Druck Freier  Zugang



Vert. i. h. Hubertus Kölw

F. Cöthmann .

R. U. theol. 1632 .



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn739723626/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739723626/phys_0002)

**DFG**

Disputatio Theologica

De

# S A C R A C O E N A

Consideranda proponens pri-  
maria pontificiorum de communione  
sub una specie argumenta.

De qua

Directore Jehova

P R A E S I D E

JOHANNE COTHMANNO

S. S. Theol. Licentiato & Professore  
publicè

R E S P O N D E B I T

M. H U B E R T U S R ö h n

Lubecensis.

in Auditorio Majori 28. Julij.



ROSTOCHII,

Typis exscrispit JOACHIMUS PEDANUS.  
Anno M. DC. XXXII.





Matt. 26. v. 27.

Καὶ λαβὼν τὸ πτίχειον τὸν Ἀλκαιστίδας ἔδωκεν αὐτῖς  
λέγων πάντας ἵξεις αὐτῷ πάντας

**B**oste aquam disputatione præcedente, Quæstionis: num Eucharistia sub utraq; participanda specie; an verò satis sit sub altera, thesin sententiæ nostræ orthodoxæ præcipue contemplati sumus. Placet jam cum Deo, ut contraria juxta se posita evidenter elucescant, antithesin ὡς ἐν συνόψει considerare. Ut autem totius negotij in ἀντίθεσι considerandi, certi constituentur limites, Quæstio formanda cui cœu scopo principali, quæcunq; deinceps dicenda sunt, applicanda erunt. Sit ergo?

### Quæstio.

Num argumenta pontificorum, in hoc arduo, Testamen-  
tum Christi concernente negotio tanti momenti sint,  
ut euto illis inniti, & conscientiam nostram, tentati  
imprimis, tranquillare possimus? N.

I. Quæstio hæc non immerito movetur, cum enim animavertamus pontificios audacter satis, communio-  
nem sub una specie, non tantum palliare ac ~~πειράματα~~  
quibusdam tegere, sed & planissime excusare, argumen-  
tis & rationibus defensare: hinc non sine causa, quid illa de re statuendum sit, inquiritur.

A. 2

2. Jesui

2. Jesuita *Becanus* postquam aliquot sententiæ pontificiæ rationes recensuisset, Tractatu de communione sub utraq; specie p. 306. ejus est audaciæ ut tandem, omnino persistendum esse in sententiâ Catholicorum, concludat.

3. Quamvis autem disputatione antecedente Thrasonicæ hujus confidentiæ falsitas ex Institutionis Christi verbis, breviter sit demonstrata; ut tamen controversia hæc plenius illustretur, & nondum confirmatorum animi in veritate agnita melius roborentur, ipsorum Adversariorum rationes *ovv̄n̄p̄w̄s* videbimus & ad amissim verbi divini appensaſ, considerabimus.

4. *Bellar.* modernorum pontificiorum περιηγήσεως  
Liber. 4. de Sacram. Eucharistie cap. 21. pro sententia sua  
suorumq; confirmanda, scil. in S. Cœnâ, Unam speciem sufficere, primò argumentum hoc urget, quia totus Christus sit sub utraq; specie. *Becanus* eandē tibiam inflans tractatu de communione sub utraq; specie cap. 6. p. 332. ait. sub una specie non minus continetur totus Christus quam sub utraq;. Syllogissimus illorum talis est: Si totus Christus continetur sub una specie. Ergo utriusq; speciei sumptio non est necessaria. At prius est verum. Posterius igitur falsitatis argui nequit.

5. Resp. 1. Si discursus hic à Bellar. ejusq; asseclis institutus obtinere debet, Christi institutio in totum convellitur; illa enim ratio Adversariorum, non tantum in S. Cœnâ Laicorum, sed & Clericorum urgeri posset. Clerici itaq; alterutra specie, debet similiter esse contenti. Illud autem cum ipſi pontificij non admittant Resp. 2. mysteria fidei, non ex curta rationis nostræ decempeda; ea namq; immensos religionis agros metiri non possumus, sed ex annuſsi verbi

verbi divini, unicè sunt mensuranda. Non enim fas est sequi cogitationes proprias sed præceptorum Jehovæ memores nos esse oportet. *Num. 15. v. 39, 40.* Ratio nostra religionis Christianæ fundamentum non est, igitur ex illa ceu fundamento fidei nostræ capita æstimanda non sunt. Captivanda potius est ratio nostra ad obedendum Christo 2. *Cor. 10. v. 5.*

6. Nulla igitur consequentia est: Christus sub ultraq; specie totus est. Ergo communio sub utraq; specie non est necessaria. Quod namq; communio sub ultraq; specie sit necessaria, unicè & in solidum Christi debetur institutioni, distinctam corporis & sanguinis servatoris, sub distinctis symbolis sacramentalibus, mandationem & bibitionem urgenti.

7. Ut autem argumentum hoc Jesuiticum eò melius refutetur, & responsio nostratium magis illustretur, repetenda est ex superiori disputatione *Thes. 23.* Unionis naturalis & sacramentalis distinctio, Quæ eo collimat quod scil. ex *Unione naturali negotium Eucharisticum sive sacramentale, non sit dimerendum*, alias non solum caro & sanguis Christi, sed & anima illius, ac divina natura, partim naturali, partim personali unionē sunt unita. Et tamen pontificij animam Christi, divinamq; ejus naturam, ob unionem illam sacramentalem manducari aut bibi in S. Coena non afferunt. Cur itaq; solo rationis discursu, contra expressissima institutionis Christi verba, ex concomitantia naturali controviam hanc, in solius Christi institutione tantum fundatam dimetiuntur?

8. Nec est ut cum Becano quis excipiat Lutherani, inquit, qui farentur Christum in Eucharistia præsentem esse,

ene, & ramen negam concomitantiam, nec uno iei-  
pturæ loco refelluntur. *Rm. 6. v. 9.* Christus resurgens  
ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non domi-  
nabitur. Nam quæro ex ipsis, an Caro Christi sit sola,  
sub specie panis, an conjuncta cum sanguine anima ra-  
tionali, & divinitate? si sola est mortua est. At Christus  
non moritur, ut inquit Apostolus. Si conjuncta cum  
sanguine, anima & divinitate: jam totus Christus est  
sub specie panis quod contendimus. Hæc Beccanus.

9. Resp. Caro Christi respectu Unionis naturalis  
non est sola sub specie panis, sed quemadmodum Christus  
vivus est, ita Caro & Sanguis invicem atque assimilè  
cohærent; adéo quidem, ut negato hoc unionis vinculo,  
Christus vivus esse meritò negetur. Quia verò unio  
hæc præsentiae Christi sacramentalis, à libera Christi  
instituentis, voluntate unicè dependentis, causa minime  
est, idcirco ab unione hac naturali, ad unionem sacra-  
mentalem mala fit illatio. Sicuti enim disparium di-  
spar est ratio, ita & harum unionum tanquam diversa-  
rum, non est unus constituendus modus.

10. Quibus ita positis Beccani, ut & complicum sua  
sponte corruit argumentum, cuius robur in hoc discur-  
su consistit: sub una specie non minus continetur totus  
Christus, quam sub utraq. Ergo in S. Cœnâ sub specie  
panis etiam Christi sanguis porrigitur. Item: Christus  
non amplius moritur. Ergo in S. Eucharistia sub Una  
specie totus Christus exhibetur. Sæpius autem & ad  
nauseam ferme hactenus dictum est, quid in S. Cœnâ  
porrigatur id non ex nostra ratione, sed solum ex Christi testa-  
mentaria fundatione, tanquam unica totius hujus negotij nor-  
ma, descendum esse. Illa vero cum pane corpus non san-  
guinem;

guinem: cum viño sanguinem non corpus communi-  
cantibus sacramentaliter distribui affirmat. Nos ergò  
idem, cum & ex eadē institutione Christi assevera-  
mus, certò confisi hunc Magistrum sequentes, ab erro-  
re nos fore immunes. Atq; hæc de primo pontificio-  
rum argumento dicta sint.

11. Secundò Bellar. allegato supra loco cap. 23. pro  
sententia Catholicorum, ut vocat, corroboranda, ar-  
gumentum sumit; quia non major utilitas sumatur ex  
communione sub utraq; specie, quam sub una. Beccanus  
idem argumentum urget cap. 7. p. 336. Resp. collectio-  
nem hanc genuino destitutam esse robore, procedit e-  
nim ex falsa illa hypothesi, quæsi in Sacramento Cœnæ  
Unione & exhibitione sacramentali, totus Christus  
sub una specie communicantibus detur. Quod cum sit,  
prævia Christi institutione, falsissimum: hinc non tan-  
ta utilitas ex S. Cœnâ mutilata, quam integra percipi-  
tur. Imo satius est à S. Eucharistia planè abstinere,  
quam eadē contra Christi testamentariam disposi-  
tionem uti.

12. Attentat equidem Bellar. assertioni; quod scil.  
non major utilitas ex communione sub una quam ex  
utraq; specie percipiatur, fidem facere; quia Ioh. 6. v. 58.  
polliceatur Dominus vitam sumenti unam speciem.  
Resp. ratio hæc falso innitur principio, quasi cap. 6.  
Joh. de S. Cœnâ agat. Cujus assertionis falsitatem, non  
tantum quidam Pontificiorum, ut ex Dn. D. Gerhar-  
do, Loco de S. Cœnâ videre est, agnoscunt; sed & col-  
latio capitis Ioh. 6. cum Institutionis verbis id eviden-  
ter arguit.

13. Nam Ioh. 6. mentio fit manducationis, præcisè  
ad

ad salutem necessariæ, adeo ut non solum adulti sed & infantes ad hanc manducationem obligentur v. 33. quod de sacramentali manducatione dici nequit. Deinde, manducatio & bibitio Ioh. 6. semper est salutaris v. 56. 57. 58. sacramentalis non est ejusmodi vide 1. Cor. 11. v. 29. ut nil dicam manducare & bibere Ioh. 6. ipso Christo interprete idem esse quod credere, quemadmodum id versiculorum collatio & verborum æquipollentia luculenter arguit.

14. Postquam enim Judæi v. 34. Christum ut sibi panem istum cœlestem daret rogassent, respondet servator. v. 35. Ego sum panis ille vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me non sitiet unquam. Item v. 47. qui confidit mihi habet vitam æternam v. 54. qui edit carnem meam & bibt sanguinem meum habet vitam æternam. Quis hic non animadvertis, edere carnem Christi hoc loco nihil aliud esse, quam in Christum mundi redemptorem credere. Unde ipse Calvinus cap. hoc sextum Johannis de perpetua fidei manducatione agere, affirmat. Potest itaq; hoc respectu ad S. Eucharistiæ ratione usus & salutaris fructu re ferri; licet de eadem ratione substantiæ non agat, nulla quippe mentio iniicitur materiæ terrenæ, (panis & vini) sine qua tamen sacramentorum integritas non consistit.

15. Nec est, ut quemquam distinctio manducationis & bibitionis offendat in v. 53. 54. 55. 56. Illam enim & in alijs scripturæ locis inveniri constat, quibus tamen sacramenti S. Cœnæ non iniicitur mentio. vide Cane. 5. v. 1. Esa. 55. v. 1. 2. proverb. 9. v. 5. Et quamvis ob allegoriam convivij conf. v. 26. manducationis & bibitionis mentio fiat, quatuor versiculis; manducationis tamen

men solius aliquot versibus & quidem totidem *vide v.*  
50. 51. 57. 58. mentio iniicitur ut innuat mandationem  
hanc fidei, non distincte Christum, sicuti fit in sacra-  
mento S. Cœnæ, sed uno intuitu totum apprehendere.  
Argumentum ergo adversariorum ex *cap. 6.* Joh de-  
sumptum, tanquam à præsenti materia alienum meritò  
reiicitur.

16. *Tertium Bellar.* fundamentum ex varijs veteris  
Testamenti figuris utpote ligno *vix Gen. 2. v. 9.* &  
Manna *Ex. 16. v. 8.* ac agno paschali *Ex. 12. v. 8.* & seqq.  
depromisit, citato super loco *cap. 24.* & probare intendit  
ijsdem, non pugnare cùm divinis literis, seu *cum Chri-*  
*sti mandato, communionem sub una specie.* verba Bel-  
lar. hæc sunt: pleræq; figuræ Eucharistiae manducatio-  
nen sub una specie significant non est igitur ullo modo  
probabile, Christum imperaturum fuisse communica-  
tionem utriusq; speciei: figuratum enim figuræ respon-  
dere debet.

17. Resp. ex figuris & parabolis non ducuntur ar-  
gumenta, *articulos fidei apodicticè confirmantia*, nisi  
applicatio & explicatio *figurarum & parabolarum ab*  
ipso Spir. S. in scriptura sit ostensa. Alias juxta rece-  
ptam Theologorum maximam: *Theologia parabolica*  
*sive figurata, non est argumentativa.* Mala ergò est  
collectio, à figuris veteris Test argumentari, contra ex-  
pressam Christi institutionem. Taceo quod hac ratio-  
ne non tantum Laicis, sed & clericis una species suffice-  
ret. Figuræ enim istæ non minus præfigurare possunt,  
S. Cœnam Laicorum quam clericorum.

18. Et si figuris res hæc decidenda, cur *Bellar.* non  
profert exemplum Melchisedeci, quod in articulo de  
B sacrifi-

sacrificio Missæ utramq; apud Pontificios facit pagi-  
nam? Ille verò non solum panem sed & vinum protu-  
lit. *Gen. 14. v. 18.* Ergo idem in sacra Cœna factitandum,  
imprimis cum Christi institutio id requirat. Paulus de  
S. Cœnaacturus i. *Cor. 10. v. 16.* figurarum mentionem  
injicit v. 6. ita tamen ut distinctam cum mandationis  
tum bibitionis ingerat mentionem v. 3. 4. non ergò pri-  
ma tantum species in usu S. Eucharistias sufficit, sed &  
secundâ specie, Christi id requirente institutione, opus  
est. Aliàs sicut corpus sine essentiali aliqua ejus parte  
integrum non est, sed mutilum & mancum; ita simili-  
ter S. Cœna sine calicis benedicti usu & participatione  
integra non est censenda. Et hæc de tertio Bellar. argu-  
mento dixisse sufficient.

19. *Quarto* Bellar. allegato loco & capite, & ex eo  
*Becanus cap. 4.* de communione sub utraq; specie argu-  
mentum desumunt ex doctrina & usu Apostolorum.  
*Act. 2. v. 42.* ubi dicitur: erant perseverantes in doctri-  
na Apostolorum & communicatione, fractione panis  
& orationibus. Argumentum formari potest tale: Qua-  
ratione S. Cœna tempore Apostolorum fuit dispensa-  
ta Laicis, eodem modo & nunc dispensari debet. At S.  
Cœna tempore apostolorum dispensata fuit sub una  
specie. Ergo & nunc eodem modo dispensari debet.

20. *Resp.* Quamyis rationes non contemnendæ  
sint, locum allegatum, non de S. Cœnâ, sed convictu  
Christianorum communiacciendi esse, probantes:  
præsertim cum v. 46. cum v. 42. conferimus, ubi citra o-  
mnem dubitationem communis Christianorum con-  
victus sive epulum charitativum, exprimitur. Posito  
tamen non concesso, citatum locum de S. Eucharistia  
intelli-

intelligendum, usitata scripturæ synecdoche vide Gen.  
43. v. 31. c. 49. v. 20. Esa. 58. v. 7. Matt. 6. v. 11. Luc. 14. v. 1.  
2. Thes. 3. v. 8. qua ex parte totum infertur hic locum  
habet. Et ni adversarius illam concederit, S. Eucharis-  
tiam sine vini consecratione celebrari posse statuet,  
quod tamen alias strenue negant nobis hic contradi-  
centes. Posita verò synecdoche lecus hic nil quicquam  
Pontificijs patrocinatur.

21. Bellar. ictum hunc excepturus (qui tamen ne-  
quicquam umbone pendet) ait: Lucam non describere  
quid Apostoli, sed quid populi facerent dum dicit eos  
perseverantes fuisse in doctrina Apostolorum & com-  
municatione, fractione panis & orationibus. Apostoli  
igitur in utraq; specie Eucharistiam consecrabant, sed  
populis in una specie ministrabant. Resp. quamvis  
Lucas describat quid populus fecerit, hinc tamen mi-  
nimè sequitur. Ergò tantum sub una specie S. Eucharis-  
tiā accepit. Contrarium namq; textus indicat, dum  
dicitur: perseverantes fuisse in doctrina Apostolorum  
Quæ verò est illa? Loquatur pro nobis Apostolus i.  
Cor. 11. v. 23. 24. Ego accepi à Domino quod & tradidi  
vobis, quod Dominus Jesus in ea nocte accepit panem  
& postquam gratias egisset fregit ac dixit: accipite edi-  
te: Hoc est corpus meum. v. 25. ad eundem modum &  
poculum per acta Cœna dicens: Hoc poculum Novum  
testamentum est in meo sanguine, hoc facite in mei  
commemorationem. Hæc clarissima satis sunt, & fre-  
mat licet orbis & orcus, in Ecclesia etiam contra infe-  
rorum portas permanebunt. Et si quis vel angelus de  
cœlo aliam de S. Cœna doctrinam adferret, illi prævio  
Apostolo Gal. 1. v. 8. anthemā diceremus. Tantum igi-  
tur

tur hanc agnoscimus Apostolicam doctrinam, quam à Domino acceperunt. Aliam & ab hac diversam freti institutionis Christi claritate, & Apostolica auctoritate magno Zelo repudiamus. Quia enim nos Christi oves profitemur. Itaq; vocem solum hujus pastoris, non alterius seductoris sequimur *Joban. 10. v. 27.*

22. At nondum quiescit *Bellar.* ut enim thesin suam: populum sub una specie communicasse, confirmaret progreditur allegato loco, inquiens: Apostoli in utraq; specie Eucharistiam consecrabant, sed populo in una specie ministrabant. Quod etiam ex eo confirmatur quia plurimi in Hierusalem Christiani erant, qui in illis initijs servabant legalia Moysis, Apostolis permittentibus, ut patet *ex Act. 21.* & ex ijs non nulli usq; ad certum temp<sup>9</sup> Nazaræi erant, non bibentes vinum &c. Hos autem non credibile est, contra votum suum bibisse de calice Domini, neq; probabile est abstинuisse omnino à communione cum Lucas expressè dicat omnes perseverantes fuisse in doctrina, & communione fractionis panis. Hæc *Bellar.*

23. Resp. si vera sunt, quæ de Transubstantiatione disputatione pontificij, tum ratio hæc *Bellar.* sua sponte corruet. In S. Coena enim ex hypothesi adversariorum non amplius panis & vinum, sed facta vera mutatione, ut loquitur *Bellar.* *Libr. 3. de Sacram. Eucharistiæ cap. 19.* corpus & sanguis Christi tantum adsunt. Alterutrum ergo necessum est concedat *Bellar.* vel argumentum, hoc à Nazaræis desumptum esse nullum: vel Transubstantiationis dogma esse figmentum. Quid hic respondendum sit deliberet aliquis *Bellar.* hyperaspites. Si dixerit accidentia vini permanere. Respondeo, esto, vi-

num

num tamen non manet. Disputat enim *Bellar.* Libr. 3. de *Sacram. Eucharisti.* cap. 18. exponens sententiam de Transubstantiatione. Quod scil. ad veram conversionem requiratur. 1. ut aliquid definit esse 2. ut aliquid succedat in locum ejus, quod definit esse. Ex hypothesi ergo *Bellar.* ejusq; complicum, res terrena in sacramento S. Cœnæ definit esse. Manet itaq; quod ante dictum argumentum hoc nervis destitutum, claudicare.

24. Ponamus tamen robur aliquod rationi *Bellar-* minianæ in esse, ex eo quia vini accidens, (odor, color, sapor) remaneat, respondendum itaq; votum Nazaræatu fuisse temporale ut ex Num. 6. v. 5. & Act. 21. v. 26. patet. Licet ergo tempore voti, vinum non biberint, elapsò tamen tempore, à vino planè non abstine- runt. Fingamus autem fuisse quosdam in primitiva Ecclesia Nazaræos, illi quandiu tales ad S. Synaxeos usum contra expressam Christi institutionem, nequaquam fuere admissi. Et licet sub una specie sacramen- tum S. Cœnæ hi accepissent, res illa fuisse facti non juris. ubi valet Maxima: non exemplis, sed legibus ju- dicandum est.

25. Et cōsideret quis in timore Domini, num cere- monialia abrogata, debeant p̄ferri institutioni Christi ad finem usq; mundi duraturæ? *i. Cor. 11 v. 26.* Id sine dubio expendens, conscientia enim mille testis, *Bellar.* argumentum hoc concludens inquit: Quare probabi- lissima conjectura est ideo Lucam solum meminisse fra- ctionis panis, quod ab ea sola specie nulli abstinerent. Ubi breviter respondemus: Quicquid probabilissimā conjecturā tantum asseritur illud à nobis per non con- ectutam reiçitur Sola enim conjectura fidem seu fir-

mum assensum non parit. Dolendum autem meritò est, aliquem in retam ardua niti conjecturis, contra expressissimam servatoris institutionem!

26. Conatur autem Bellar. Theologiam suam conjecturalem magis facere probabilem, dum ita pergit: Unde etiam B. Paulus i. Cor. 10. v. 16. non sine causa de calice dicit: Calix benedictionis, cui benedicimus, de pane autem, panem quem frangimus. Calix enim semper benedicebatur, sed non semper distribuebatur. Resp. loquitur Apostolus de poculo benedicto, quod erat communicatio sanguinis Christi. Malè ergò voce benedictionis probatur, calicem fuisse semper benedictum, sed non semper distributum. Falsitatem namq; hujus assertionis non tantum finis benedictionis, qui erat communicatio arguit, sed & ipsa vox communicatio, repugnat. Ex Apostolo enim rectissime ita colligi potest: Quicquid ita benedicitur, ut sit communicatio, illud semper distribuitur; quid enim aliud est, communicari quam distribui. At juxta Apostolum calix ita benedicitur, ut sit communicatio. Ergo semper fuit distributus.

27. Non vero patrocinantur Bellar. verba Apostoli sequentia v. 17. unus panis & unum corpus sumus, qui de uno pane participamus. Nam paulus verba faciens de participatione panis non exclusivè sed inclusivè loquitur, id est participationem calicis benedicti non excludit, sed includit, ut ex v. 21. hujus capitilis constat, cui si cap. 11. v. 25. 28. 29. addantur assertio hæc οφθαλμο-  
φαρεψῶν elucescit.

28. Hinc vulgatus interpres in versione sua, aliquando non tam metaphrasten, quam simul interpretem.

tem agens, sensum hunc inclusivum, disertis verbis hoc  
loco expressit: & de uno calice participamus. Quorum  
verborum claritatem Bellar. perspiciens, vix quo se  
vertat habet; invenit tamen rimulam quandam,  
per quam se evasurum arbitratur, inquiens: non quam-  
vis lectionem vulgatae editionis esse recipiendam. Sed  
estō selectum editionis vulgatae esse instituendum, fieri  
enim potest ut ψάλμος aliquod hypotheticum irrepatur.  
At num erratum est typotheticum, quando tota sen-  
tentia ita constanter etiam in antiquissimis exemplari-  
bus reperitur? Ita enim in exemplari antiquissimo ala-  
cri studio impensis Anthonij Koburger Nurenbergi im-  
presso Anno Dominicæ incarnationis 1482. Pridie Calendas  
Januarias legitur: Unum corpus multi sumus, omnes  
qui de uno pane & de uno calice participamus. Consen-  
tit editio Roberti Stephani Lutetiae edita Anno. 1545. regio-  
que privilegio ornata, quæ itidem sensum hunc inclu-  
sivum: & de uno calice retinet.

29. Nullius igitur valoris est Bellar. κρητικήν ab  
editione minus correcta ad emendatam provocantis,  
cum ex supra dictis constet editiones vulgatae versio-  
nis correctissimas sensum hunc urgere, & rectè quidem,  
cum verbis totidem v. 21. habeatur & cap. sequenti ex  
professo urgeatur. Quæ insuper in eodem hoc capite  
Bellar. fundamenti loco urget ex testimonio veteris  
Ecclesiæ, & ritibus in illa usitatis, hæc quatenus expres-  
sæ Christi institutioni & Paulinæ repetitioni opponun-  
tur, eadem facilitate reiciuntur, qua affirmantur. Nul-  
la enim Ecclesia antiquissima licet sit, nulla illius con-  
suetudo, inveterata qnamvis, scripturæ sacræ quic-  
quam præjudicare potest aut debet. Licet igitur annis  
plus

plus octingentis communionis sub una specie usus in quibusdam Ecclesijs fuerit, dicente Bellarmino, error tamen ille veritati in scripturis sanctis revelatae nil derogat. Verissimum enim est Germanorum proverbiu[m]: Tausendi Thar vrechte ist nicht ein Thar recht. Dismisso itaque hoc Bellar. fundamento utpote ruinoso proindeq[ue] minus valido, ad argumentum ab incommodis desumptum properamus.

30. Quintum itaq[ue] communiovis sub una specie argumentum mutuatur Bellar. cum ass: clis Bellar., Coffeo, alijsq[ue] ab incommodis? Primum incommodum est, impossibilitas implendi legem istam in ijs locis, ubi sit populus valde numerosus & unus tantum sacerdos ut saepe accidit in frequentissimis pagis. Resp. 1. ratio hæc procedit à particulari, unde firma non deducitur argumentatio. Quid enim de alijs pagis tanta hominum frequentia non instructis dicendum, num ergo ijs Lai-cis usum calicis benedicti adversarij concedent? 2. ubi numerosus est populus ibi non unus solum constituatur Ecclesiæ minister, sed duo, imò plures; numerosus enim ille populus, quot habet ministros corporis? sic ergo quoq[ue] sollicitus de ministris animæ. 3. Et quamvis confitentes ac communicantes unā aut duabus horis actum illum sacrum absolvere nequeant, plures addant. Rebus saepius nihil & nauci multum temporis impendimus, cur non rei huic sacræ aliquot horas, in modo si necessum sit aliquot dies tribueremus? Jugis sacrorum meditatio est hominis verè Christiani infallibilis nota vide Psal. 1. v. 1. Luc. 2. v. 37. Quæ forsitan hic præ-supponitur auricularis omnium peccatorum, in specie juxta omnes circumstantias commissorum, etiam occultissi-

cultissimorum & tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta patratorū, accuratissima recensio, cui actui multum temporis tribuendum, illam tanquam rem impossibilem, conscientiarum Carnificinam, & in meritum Christi injuriosam, remissionemq; peccatorum reddentem dubiam, meritò improbabamus. Atq; tanquam de primo incommodo.

31. Secundum incommodum est irreverentia sanctissimi sacramenti. Semper enim Ecclesia diligentissime cavit ne mica aliqua consecrati panis in terram caderet. Resp. incommodum hoc ex falsâ Transubstantiationis hypothesi procedit. Qua sublata incommodum hoc facile tollitur: Sacramentum enim extra usum à Deo institutum non habet rationem sacramenti. Cogitet autem homo Christianus, cui sanctissima Christi institutione curæ cordiq; est, an non major sit irreverentia, scilicet & volenter ab expressa Christi testamentaria institutione morte comprobata recedere, irreverentia a liquâ involuntaria. Et cum soli Laici, ita sunt irreverentiales, annon idem contingere posset clericis? numero similiter circa primam sacramenti speciem irreverentia aliqua, ut dicente Bellar. mica aliqua panis in terram caderet, admitti potest, annon propterea & hæc species esset intermittenda, Christiq; testamentaria institutio planè abroganda!

32. Quamvis autem quidam Laicorum adeo profani essent ut sine ulla reverentia sacratissimo hoc epulo uterentur, hinc tamen S. Cœnæ integratini nil

C de-

detraheretur. verè enim dicente *August.* *Libr. 3. cont. Dom.*  
*cap. 14.* fieri potest, ut homo habeat integrum sacramen-  
tum, & perversam fidem. Nam sicuti hominum incre-  
dulitas fidem Dei non evacuat *Rom. 3. v. 3.* ita hominum  
irreverentia substantialia sacramenti Cœnæ non de-  
struit, nec immutat. Illa etenim sicuti ab homine nudo  
non dependet, ita ab homine destrui tollive nequeunt.

33. Et licet, juxta *Bellar.* in senibus debilibus &  
rusticis illa irreverentia & effusio imprimis metuenda,  
quid hoc ad alios? num illi culpam alienam luere de-  
bent. Annon omniscius Christus quem nihil latet. *Act.*  
*v. v. 18. Job. 2. v. 25. c. 21. v. 17.* illud periculum prævidit,  
ac ea propter in gratiam Laicorum sive potius senum  
debilium & rusticorum, peculiarem Cœnam instituit?

34. *Bellar.* rationem hanc ultimam elisurus Re-  
spondet, Christus quidem sub duplice specie, com-  
munionem sub utraq; instituit, sed non jussit dari omnibus  
sub duplice. Sed quid hoc est respondere Christus insti-  
tuit sub duplice specie sed non jussit dari sub duplice.  
Certè qui aliquid instituit, ita prout instituit, etiam ju-  
bet fieri. Annon verba: facite, bibite, sunt verba juben-  
di & imperandi conser quæ superiori disputat. *Thef. 13.*  
hac de re dicta sunt.

35. Ut ergo rationem hanc *Bellar.* tandem conclu-  
damus, meritò cum *Dn. D. Bald.* ex tractatu Beccano  
Jesuitæ opposito de communione sub utraq; specie *p.*  
*224. 225.* dicimus: Cogitent omnes pij, num admini-  
strantium incuria, aut sumentium irreverentia tanti sit,  
propter quam tot pij, & religiosi Christiani à Calice  
arcendi institutio sacramenti mutilanda sit? Cautione  
utraq; opus est in hoc sacro non probatione, aut muti-  
latione

Iatione sacramenti, propter unius vel alterius irrever-  
tentiam aut incuriam.

36. *Tertium* Bellar. ut & aliorum incommodum  
est, quia multi abhorrent a vino, & vel natura abstemij  
sunt vel educatione. Resp. i. si hypothesis Transubstan-  
tiationis vera esset ratio hæc non militaret. vide quæ  
supra hac de re *Thes.* 23. dicta sunt. 2. procedit incom-  
modum hoc à particulari. Quæ enim consequentæ  
ratio: aliqui in Ecclesia sunt abstemij. Ergo tota Ec-  
clesia Laicorum privari debet calice Eucharistico in  
remissionem peccatorum effuso?

37. Et licet quidam abstemij sint, ut ordinariè vi-  
num non bibant, experientia tamen multarum rerum  
magistra locuples testis est illos ipsos abstemios tantil-  
lum vini quantum huic usui sufficit delibare posse. Po-  
namus autem Casum, esse aliquem ita abstemium, qui  
ne guttam quidem vini degustare posset. Huic homini  
satius est ut plane à S. Cœnæ usu abstineat, quam ut S.  
Cœnam vulnerata conscientia, contra institutionem  
Christi mutilatam usurpet. Deficiente igitur hoc fidei  
alendæ & corroborandæ remedio, talis abstemius di-  
ligentius ac frequentius, verbum Dei audire, legere,  
(nam etiam ex verbo Dei lecto fides est *Apoc.* 1. v. 3.)  
meditari, & beneficia Christi nobis acquisita assidue  
considerare debet. Hoc pacto fidem suam languidam  
confirmare potest. Insuper & illud August. crede &  
manducasti, sèpius meditabitur; tum &, quod non un-  
da sacramenti alicujus priyatio, sed contemptus ali-  
quem damnet, expendet.

38. *Quartum* Bellar. incommodum est, vini penu-  
ria. Verba Jesuitæ hæc sunt. si quidem in multis regio-  
nibus

nibus vinum non crescit & quod aliunde adfertur, partim summo pretio emitur, partim non diu conservatur: ex quo oporteret plurimos, aut nunquam aut rarissime communicare, si non posset fieri communio sub una specie. Resp. ejusdem cum reliquis incommodum hoc est farinæ, itidem enim à particulari procedit: multis in locis datur vini penuria. Ergò alijs in locis ubi datur vinum in copia, sacramentum sub una specie dispensari debet!

39. Negamus autem, imo pernegamus jam in terrarum orbe inveniri locum, quo tantillum vini ad S. Coenæ usum necessarij beneficio navigationis transportari (licet multis in regionibus vinum haut crescat) non posset. Fingamus autem esse aliquem locum tam, quid ibidem fieret de clericis, num & illi sub una specie propter vini defectum communicare deberent?

40. Quæ Bellar. de summo vini pretio addit Resp. breviter, satius est in hoc casu, ut perdatur pretium, quam ut Christi periclitetur sacramentum. In res sæpe vilissimas magnos facimus sumptus cur non multo magis in negotio nostræ salutis promovendo idem factaremus. Quod attinet Laicos in illis locis ob vini defectum rarissime communicaturos Resp. præstat Laicos vel anno semel juxta Christi institutionem communicare, quam iteratis vicibus contra Christi testamentum peccare, satius enim est semel bene agere, quam sæpius malè agere.

41. Incommodis hisce quatuor *Coferus in Enchirid.* p. 457. aliud subjungit inquiens: mandatum ejusmodi (de communicatione calicis benedicti) durum esset illis qui ex eodem poculo cum alijs horrent bibere: vel  
quod

quod metuant alterius oris infectionem: vel quod salvivas aliorum influxisse videant in calicem. Resp. dum potius sit iuso planè impium, expressam Christi institutionem ob rationes tam leves, ne quid dicam gravius, deserere. si ergo delicatuli ejusmodi essent, qui dicto modo offenderentur, peculiari potius utantur calice, quam ut Christi testatoris sacratissimam dispositionem violent, vel communicantium primi sint, sicq; periculum illud non metuendum, consideret autem mens Christiana, annon potius reatus ob mutilatum Christi testamentum timendus, quam imaginaria talis oris infectio! si namq; verbi Dei contemptores justamanet poena, non sane poenæ expertes erunt, testamentum filij Dei violantes.

42. Atq; hæc Bellar. Becani, Costeri aliorumque primaria communionis sub una specie, sunt argumenta, quibus alij addunt rationes suspirijs magis ac lacrymis, quam refutatione dignas, utpote quod *Eccies* de filijs Eli ex 1. *Sam. 2. v. 36.* dicit quod petituri sint unam partem sacerdotalem, nimirum buccellam panis. Item quod *Matt. 6. v. 11.* dicatur panem nostrum danobis hodie. Ergo concludit S. Coena sub una specie dispensanda. Nisi res esset seria æternam nostram salutem concernens, dicerem cum poëta: spectatum admissi, risum teneatis amici. At quia rei hujus sublimitas & debita reverentia risum non admittit, inverti versum poëtæ ajens: spectatum admissi fletum teneatis amici. Quod enim locum 1. *Sam. 2. v. 36.* attinet agitur ibidem de supplicio posteris Eli propter peccata immittendo. Quid vero hoc ad universam fidelium cohortem à clericis distinctam! Ad locum *Matt. 6. v. 11.*

A. 3

merito

merito quæri posset, num clerici illam orationis Dominicae partem non orent? Quod cum hanc dubie non diffitebuntur, synecdochicam scripturæ locutionem etiam supra Thes. 20. observatam deprehendent.

43. *Gerson* Tractatu de communione Laicorum, urget periculum in vasorum sordidatione. In barbis longis Laicorum, in congelatione &c. Quas rationes recitasse est refutasse. Nos qui cum Davide ex Psal. 119. v. 105. verbum Dei lucernam pedibus nostris statuimus, ex eodem edocti, Christum Magistrum sequimur, nec ob rationes tam leviculas ab institutionis Christi norma abduci nos patimur, Deum Trinum rogantes, ut in veritate, etiam in hoc religionis nostræ capite agnita, constantes nos ad vitæ usq; finem conservare, errores verbo patefacto repugnantes detegere velit, quo tandem illud Paulinum ex. 2. Tim. 4. v. 7. certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi, ovantes vitam hanc cum altera æterna commutaturi, concinere valeamus. Amen.

*Joh. 8. v. 31.*

Si in sermone meo manseritis verè discipuli mei estis.

## COROLLARIUM

Ne pagella aliqua remaneret vacua, placet ex Jesuita Becano Tractatu de communione sub utraq; specie p. 354. responsionem aliquam ad argumentum nostrum considerare. Argumentum est ejusmodi ex Luc. 22. v. 19. Quicquid Christus modo imperativo in suam commemorationem jubet fieri. Illud à nobis nequaquam debet, aut salva conscientia potest omitti. At utriusq; spe-

ciei

cici sumptionem Christus modo imperativo in suam  
commemorationem jussit fieri. Ergo. Respondet Je-  
suita, nos nihil inde contra se suosq; evincere, quod  
hoc pacto ostendit. Nam illa verba: Hoc facite in  
meam commemorationem, non habentur, inquit,  
nisi apud Lucam & Paulum. Ceteri Evangelistæ  
ea omisserunt. At tam Lucas quam Paulus ponit illa  
post sumptionem panis, non autem sumptionem cali-  
cis. Ergo ex illis non potest colligi preceptum de sum-  
ptione calicis. Frustra ergo fatigant se adversarij.  
Dicent forte, tamen si post sumptionem panis sint po-  
sita, tamen repeti oportere post sumptionem calicis.  
At unde hoc constat? sane Lucas non repetivit. Pau-  
lus repetivit quidem sed cum hac moderatione; hoc  
facite quotiescumq; bibetis etc. At cum hac modera-  
tione, non continent preceptum de sumptione calicis,  
sed tantum de commemoratione mortis & passionis  
Christi. Hac Beccanus qui responsonem hanc conclu-  
dens sub finem §. 8. allegati loci ait: condoleo simpli-  
oribus, qui tam misere ab adversarijs illuduntur.  
Verum mi Beccane, verte corium & fiet Calceus. U-  
trum nos an vero vos, praesertim qui jesuitæ auditis  
simplioribus illudatis, licet inter cordatos ac verbi  
divini amantes jam constet; revelabit tamen id a-  
liquando plenè dies, quo illustrabuntur occulta tene-  
brarum i. Cor. 4. v. 5. Iudicet, sed absq; affectu,  
qui judicare potest, anne illi baredibus imponant,  
qui

qui dispositionem alicujus Testatoris salvam & integrā conservant, ac juxta eandē bona legata distribuunt: an vero hi heredes pessimè defraudent, qui testamētaria seposita dispositione juxta humani ingenii placitū hereditatē alijs conferūt, prīq; Lutherani; posterius magna audacia faciliat pontificij, utri reētīg agent verbum Christi quod locutus est indicabit. Job. 12. v. 48. Responsioni autem Beccani ut aliquid reponamus, breviter tamen, pro spacij relicli angustia, fas est, dicimus ergo mandatum: Hoc facite in meam commemorationē. Utrīq; speciei ratione intentionis Christi additum esse. ut vel ex solo Paulo I. Cor. II. v. 25. liquidō constat. Nec est ut moderatio nem hic factam esse per vocem iuris Beccanus excipi. at vocem namq; illam non habere hanc emphasis in versus subsequens: οὐαί γάρ ἐσθια τὸ ἄρρεν τοῦ βασιλέως μα- manifestò erguit. Ratio itaq; addita Beccani, de com memoratione mortis & passionis Christi, Elenchum oppositorum continet. Præceptū enim hoc facite, non tantum ad mortis & passionis commemorationē, sed & simul ad Calicis benedicti perceptionē referendum est. Absolutè itaq; præcipitur ut S. Cœna u. suri, non solum panem benedictum manducemus, sed & oīuūta, ex calice benedicto bibamus, id autem quotiescumq; facimus in beneficiorum Christi, memoriā facere tenemur. Qua de re in ipsa solennitate agetur pluribus.

92 26





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn739723626/phys\\_0028](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739723626/phys_0028)

DFG

cici sumptionem Christus modo imperat  
commemorationem iussit fieri. Ergo. Re-  
suta, nos nihil inde contra se suosq; eviri  
hoc pacto ostendit. Nam illa verba: Ho-  
meam commemorationem, non haberet  
nisi apud Lucam & Paulum. Ceteri  
ea omisserunt. At tam Lucas quam Paulus  
post sumptionem panis, non autem sumptu-  
cis. Ergo ex illis non potest colligi præcep-  
tione calicis. Frustra ergo fatigant se  
Dicent forte, tametsi post sumptionem pa-  
nis, tamen repeti oportere post sumptionem  
At unde hoc constat? sane Lucas non rep-  
etas repetivit quidem sed cum bac moder-  
facite quotiescumq; bibetis etc. At cum huius  
ratione, non continent præceptum de sumpta  
sed tantum de commemoratione mortis  
Christi. Hac Beccanus qui responsionem ha-  
dens sub finem §. 8. allegati loci ait: con-  
cioribus, qui tam misere ab adversarijs  
Verum mihi Beccane, verte corium & fie-  
trum nos an vero vos, praesertim qui fesi-  
sumplioribus illudatis, licet inter cordas  
divini amantes jam constet; revelabit in  
liquando plenè dies, quo illustrabuntur o-  
brarum i. Cor. 4. v. 5. Iudiset, sed a  
qui judicare potest, anne illi hereditibus

